ORATIO DE ALTENBURGO, VRBE MISNIAE ANTIQUISSIMA ET CLARISSIMA, SCRIPTA AC...

Abraham Rosener

Digitized by Google

INTEGERRIMIS VIRIS, SAPIENTIA, VIRTVTE ET DIGNITATE PRAESTANTIBVS, DOminis conſulib. & Senatoribus Reip. Altenburgenſis, Dominis ſuis colendis. S. D.

TRadunt ſcriptores Themiſtoclem, pluſculum ætatis iam adeptum, præclariśq; Miltiadis, ducis Athenienſium, facinoribus incitatum, ad honeſtas actiones tantoperè animum adiunxiſſe, vt noctes ob id inquietas exigeret. Quærentibus verò quid ita eo tempore in publico verſaretur? Reſpondiſſe: quia trophæa Miltiadis me de ſomno excitant. Attentius enim perpendens ſecum, maximi animi & altiſsimi vir conſilij, Miltiadis præclara in patriam merita, ſic nempe animum inducebat, Athenienſium in numero ſe haberi non poſſe, ſi non & ipſe de patria quàm optimè mereretur.

Hoc Themiſtoclis factum ante quadriennium diligentius paulò cum animo meo conſiderans, Conſules & Senatores ampliſsimi, & ego in eam incidebam cogitationem, mearum quoq; partium eſſe, Patriam (cui proximas poſt Deum debeo, quippe, quæ me ceu pia mater genuit, enutriuit, & adhuc benignè fouet, alimentum & domicilium ſuppeditans) ornare, quibusq; poſsim officijs, competi.

Εἰ γὰρ λαβὼν ἕκαστος ὅ τι δύναιτό τις
Χρηστὸν, διέλθοι τοῦτο, κ' εἰς κοινὸν φέρει
Πατρίδι, κακῶν ἂν αἱ πόλεις ἐλασσόνων
Πειρώμεναι, τὸ λοιπὸν εὐτυχοῖεν ἄν.

Eurip. in Phœniſs.

Accidit autem id temporis, vt Altenburgum in manus de-

nus deſcribendum ſumſerim, breuiter locos, ex quibus vrbes laudari ſolent, peruadens; cum ab aliïs magis ſplendidis operibus, quibus patria pro exhibitis beneficiïs à me fuiſſet augenda, tenuitas mea & imbecillitas me facilè auocaret. Eſt enim quiddam prodire tenus, ſi non datur vltra, vt habet verſiculus. Ab eo itaq; tempore, planè deſcriptionem illam quaſi mortuam ſtatui atq; ſepultam, neq; fore putaui vnquam vt velut ab inferis in lucem reuocaretur.

Prater meam verò omnem eſt factum expectationem, vt nuper ab amico quodam efflagitaretur legenda, cuius poſtulationi non potui non, vtpote nō prorſus iniquæ, gerere morem: qua perlecta, non ſolum de ea ſibi communicanda is me ſollicitare, ſed & ſuaſor atq; autor eſſe, illius edenda in publicum. Quid multis? ne animum forte amici, cuius amicitiam non immeritò faciebam plurimi, offenderem, & à me alienarem, perſuaderi tandem iſtud mihi ſum paſſus; etſi diu ſanè petitioni ipſius acriter repugnarem, animo mecum agitans; incurſuram hanc Orationem non modo in oculos, ſed & voculas quorundam inuidorum, qui Theonino eam rodere dente haud verebuntur. Quid enim aduerſus Sycophantæ morſum queat eſſe tutum?

Cum autem ſecundum morem antiquitus receptum fieri ſoleat, vt quiſq; lucubrationes ſuas, quas in publicum exire velit, aliïs, quos amat aut reueretur, nuncupet, quorum præſidio & autoritate fruantur: Ego, vt plurimum me vobis, Viri ornatiſſimi, debere teſtarer, vtque beneficiïs, tam inde à prima adoleſcentia in hanc vſq; horam in me collatis, non ingratus eſſem; haberemque in quorum patrocinio delitèſcerem: Ea propter hanc patriæ terræ deſcriptionem vobis dedicare volui, ex variïs excerptam autoribus, atq; in vnum quaſi corpus redactam:

dactam, nec non rebus & perſonis magis iam accommodatam: cui ſi aliquibus quippiam adhuc deeſſe videbitur, minusq́ á me ſatisfactum eſſe ſuſcepto negotio, illi hoc habeant reſponſum: me in patria deſcribenda ſumma tantum rerum faſtigia ſequi voluiſſe, non verò perſequi omnia, quæ ad augendam & amplificandam ipſius dignitatem pertinent, relinquentem ea alijs doctioribus & eloquentioribus ingenijs pertractanda.

Quod cum ita ſit, prudentiam veſtram oro & obſecro, Ampliſſimi viri, ac Domini benigniſſimi, vt hoc qualecunq́ munus, pignus ac teſtimonium gratitudinis & reuerentiæ erga vos meæ, nec dignitate & eruditione, ſed ſtudio offerentis expendendum, æqui boniq́ conſulatis, eodemq́ animo, quo vobis á me offertur, grato videlicet & candido, accipiatis, deniq́ inter clientes veſtros perpetuò me præſtantia veſtra commendatum habeatis.

Benè valete, Humaniſſimi & integerrimi viri, per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM*, qui vt vos incolumes & diu florentes conſeruet, perq́ vos aliquid opis & emolumenti Eccleſiæ & ſcholis impertiat, opto & precor. Ex ædibus ſcholaſticis Prid. Michael. Archan. Anno Virginei partus* CIↃ IↃ XCIII.

Veſtræ amplitudini
addictiſſimus

M. Abraham Röſenerus, Collega docentium in Schola Altenburgenſi.

 ORATIO

ORATIO
DE ALTENBVRGO.

Ad Arch. Tarent.

SApientiſsimvs vir Plato, quem Cicero quaſi quendam Deum philoſophorum appellare non dubitat, in epiſtola quadam ſic honeſtiſsimè ſcriptum reliquit: ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, (inquit) ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν, τὸ μέν τι, ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι. Quisq; noſtrum non ſibi ſolùm natus eſt, ſed ortus noſtri partem patria ſibi vendicat, partem parentes, partem reliqui amici. Quibus inter cetera verbis, non obſcurè vult innuere, non hanc modo pietatis partem magnopere á nobis requiri, vt ſuo ſinguli loco opiniones de ea terra, quæ nos prodeuntes & hanc in lucem editos excepit, circumferamus honeſtas, verum etiam vt omnes noſtros conatus, omneſq; neruos in id intendamus & conuertamus, vt patriam quibuſcunq; poſsimus officijs, ornemus.

Rationis expers volatile Ciconiam, officij mutuam rependere vicem ſolere omnes nouimus, vt hinc ἀντιπελαργεῖν, natum ſit prouerbium. Indidit enim Deus huic aui hanc στοργὴν, vt parentibus ſenio confectis, in renutriendo, fouendo, & defenſione mutuam gratiam perſoluat. Quin etiam in volatu

alis

alis & humeris ſuis parentes vehere & geſtare dicuntur; vnde & apud veteres pietatis ſymbolum Ciconia fuit, & ab Ebræis dulciſſimo nomine, quaſi pia & erga parentes beneficia, Chaſidah appellatur. Quanto autem magis nos, qui intelligentia præditi ſumus, gratiam nobis benefacientibus, ſi propter culpam fortunæ iniquiorem non parem referre potuerimus, tamen aliquam ſcribendo ſaltem, benè ſentiendo, atq; aſſiduis illos extollendo laudibus, & habere & agere decet.

Cùm autem Altenburgum, veluti mater omnium noſtra communis benignisſima, nos tanquam alumnos & cariſſima pignora ſinu blandiore foueat; nos bonis in iuuentute literis inſtituat; nos probatis moribus exornet; nos deniq; ætate prouectos maximis honoribus afficiat: Quis vel pietatis vllo tangi afferat illum affectu, qui parentem tam officioſam pro virili ſua nolit, vt ingratitudinis moroſæ filius, laudibus in cœlum ferre?

Hæc cùm ipſi vos optimè teneatis meditata, Conciues omnium cariſſimi, nihil omninò dubitandum erit mihi, quin me, de laudibus patriæ noſtræ aliquid memorantem (cum gratitudinem meam debitam natali ſolo aliter iam declarare non poſſim) patienter ſitis audituri.

Ac quamuis arroganter alicui facere videar, quod propriæ patriæ laudes deſcribere coner, cùm permultæ ſint Miſniæ ciuitates, omnibus rebus, quæ ad victum cultumq; corporis pertinent, abundantes; quæ etiam hoſpitia præbent Eccleſiæ Dei afflictæ, & hinc inde quaſi in proceloſo pelago vndis & fluctibus iactatæ, & ſcholis honeſtis; quæq;, vt dignis ob

id ce-

id celebrentur laudibus, probè merentur: tamen arrogantiam omnem, vt opinor, facilè excuſabit amor iuſtus, qui latet in animo ac ſenſu meo, quemq; in me non exiguum erga hanc patriam meam eſſe, libenter fateor.

Cum enim patrium ſolum naturæ cognatum ſit & familiare; neſcio quam ſui dulcedinem nobis in vita præſtet, vt eam præcipuo quodam amore, quamdiu vitalem ſpiritum ducimus, complectamur: cuius quidem amoris exempla adducere poſſem plurima, niſi vererer, ne citius ipſum tempus, quam copia exemplorum, me deficeret. Nam vt de Anaximenis pietate erga patriam ſuam Lampſacum in præſenti nihil dicam; vtque Camilli erga patriam, licet ingratam, amorem tacitus prætermittam: certè ſilentio præterire non poſſum, quæ de Cyro & Crœſo in 7. τ͂ Κύρȣ παιδείας, recitat Xenophon.

Nam cùm Cyrus poſt dubium & anceps bellum, quod ipſi in curſu fortunæ proſperrimo intulerat Lydiæ rex Crœſus, tandem virtute imperatoria ac robore militum, non modò fregiſſet potentiam Crœſi, verum etiam deleto, in Cappadocia, vniuerſo eius exercitu; ipſum Crœſum, mox Sardibus obſeſſum cepiſſet; & regno potentiaq; omni exuiſſet; & iam euerſionem Sardibus machinaretur: interceſsione Crœſi, non tàm de vita & fortunis, quam de artium bonarum incolumitate ſolliciti, conſeruata eſt vrbs Sardium ſalua & incolumis. Hac enim oratione ad clementiam flexit iratum victoris animum: Ne, quæſo, inquiens, ó Cyre victor, excindas Sardes, ne vnà cum reliquis bonis corrumpantur artes, quæ ſibi propriam & quaſi peculiarem ſedem hac in vrbe

locarunt.

locarunt. Et huius interceſſionis rationem addit honeſtiſſimam; Quia, inquit, artes ſunt fontes omnium bonarum rerum, ſiue, vt ipſius verbis vtar, πηγαι καλῶν. Quia quidem oratione & debitam patriæ laudem præſtitit; & ſalutem vrbi, cui certum exitium imminebat, impetrauit. Aſſentitur enim Cyrus victo per omnia, & facturum ſe eſſe, quæ petijſſet, liberaliter pollicetur.

Cùm itaque certum exploratumq́; habeam, vos non minori amore & cura patriam noſtram proſequi quæ, vt Plato inquit, magis colenda eſt quàm mater, cum ſit quiddam diuinum: neq́, id ſolum tacito animorum conſenſu, verum etiam oratione, quæ nuncia eſt animi atq́; interpres: ſpe bona teneor, vos æquos animos & aures beneuolas mihi, de laudibus eius non quantum debeo, ſed quantum balbutiendo aſſequi potero, dicenti, eſſe adhibituros, ac voluntatem meam probaturos, etiamſi id, quod initio ſibi propoſuit, minimè conſequatur. In Critone.

Cùm verò ieiunior mea fuerit oratio, ac nequaquam dignitati & amplitudini vrbis, quam deſcribere conſtitui, reſponderit: nolite, quæſo, putare, vrbi clariſsimæ deeſſe ornamenta, ſed mihi orationis lumina. Ibo autem breuiter per locos, ex quibus vrbes laudari ſolent, & (vt cum poëta loquar) ſumma tantum ſequar faſtigia rerum, ac primo loco dicam de antiquitate.

Antiquitas.

Nomen.

Floruiſſe Altenburgum vrbem (quæ ab arce, natura loci & opere munita, nomen ſortita eſſe putatur) multis abhinc ſeculis, cum ex alijs antiquitatis monumentis, fide digniſſimis, tum ex Hiſtoria Thuringica, clarè non obſcurè cernitur. Commemorat

morat enim prædictæ Hiſtoriæ Scriptor: fuiſſe Altenburgum antiquitus, ſaluis adhuc rebus, vnam ex præcipuis vrbibus & munitionibus Miſniæ; & priuilegijs Imperialibus donatam; ac rebus omnibus, ad vitæ vſum cultumq; neceſſarijs, inſtructam. Sed cum domeſticis ſeditionibus tunc mutuò arderent Turingia & Miſnia; ferrumq; ab hoſtili bello in ſanguinem ciuilem verterent: quod animus meminiſſe horret, luctuq; refugit: in hac rerum confuſione & calamitate bellorum inteſtinorum, concidit retroq; lapſum eſt & decus huius florentiſſimæ vrbis, vt aliarum præcipuarum, quarum ruinæ adhuc multis in locis, non ſine magno ſpectantium dolore, ante oculos proſtratæ iacent. Nam quamuis & commeatu inſtructa eſſet ampliſſimo; & bellicis armis, rebuſq; ad vim arcendam accommodatis, referta; nec non annuo temporis ſpacio obſidionem & oppugnationem hoſtium crebram fortiſſimè ſuſtinuiſſet: ad extremum tamen, quæ fortunæ eſt vis, Martiſq; iniquitas, occupata eſt arx, antiquitate & viribus pollens; ac inde omnibus ferè ciuium tectis inflammatio atq; euerſio illata: id quod nulli ferè, niſi in patria peregrinetur, poteſt eſſe obſcurum.

Ioan. Gerſon, Bononienſis.

Origo. De origine verò vrbis hoc litteris memoriæque proditum eſt; inhabitatam illam quondam fuiſſe à Cauritanis, qui à Choris, vt eos nominat Ptolomæus, initium traxiſſe dicuntur. Quoquo autem modo ſe res habet, conſtat ſanè perveтuſtam eſſe hanc ciuitatem, vtpote quæ nunc vltra mille & quingentos annos ſtetit.

Figura. Ad figuram autem quod attinet, non eſt illa circularis, neq; etiam quadrata, ſed magis ἑτερομηκὴς verſus Septentrionem per cliuum prolixum deducta.

Situs

Situs vero commodiſſimus eſt, & aſpectus iucundiſſimus; adeò vt multos peregrinos alliciat, & ſuauitate multiplici retineat atq; perfundat. Nam ſi quis luſtrauerit ſpacia frugifera atq; immenſa camporum, quibus ciuitas circumcirca, quouſq; oculorum acies ſeſe extendit, cincta eſt; ſi vinearum, quæ non ita multos ante annos plantari ceptæ ſunt; hortorumq;, varij generis fructus, pro bonitate ſoli & cœli clementia, copioſiſſimè fundentium, amœnitatem conſiderauerit: non video, quid ibi requirere poſſit vel debeat amplius, niſi Momico more omnia Dei beneficia non ferenda temeritate velit reprehendere.

Situs.

Loci amœnitas.

Eſt & ſitus noſtræ patriæ eam ob cauſſam commodior, quòd velut corona ampliſſimis ciuitatibus cingitur, quæ non tantùm munitionibus, verùm amplioribus etiam donis celebritatem adeptæ ſunt. Ab Erffordia, ampliſſima ciuitate, & Academia antiquiſſima, miliaribus abeſt vndecim. A Vinaria, quæ ſedes eſt illuſtriſſimorum Principum, Friderici Guilielmi, & Ioannis, Sax. Ducum, &c. eodem diſtat interuallo, quo Ieroſolymorum Vrbs à Samaria, quæ regni Iſraël metropolis fuit. Inter Altenburgum & Ienam, Vniuerſitatem clariſſimam, & doctiſſimis viris, liberaliſſimiſq; ſtudijs affluentem, tantum interuallum eſt, quantum vno die à Viatore confici poteſt. Ab Hala Saxonum, nouem abeſt miliaribus. A Neopyrgo, ſex. A Lipsia, emporio Miſniæ, & Academia celeberrima, quinq;. A VVitebergа, ſede Muſarum, & fœcunda Eccleſiæ doctorum matre, tredecim; tanto ferè ſpacio, quanto Capernaum ab vrbe Ieroſolymorum

 diſiun-

adiuncta ſunt. Nec longo locorum interuallo ab
ærarijs fodinis, quæ in prouincia Miſniæ coluntur,
diſtracta eſt.

Iactent itaq; alij rerum quarumcunq; vicinitatem; nobis ampla ſatis commoditas eſt, propinquas habere ciuitates eas, quæ ſedem atq; hoſpitia præbent ingenuis artibus, & doctrinæ diuinitus patefactæ; inter quas noſtram quoq; patriam non extremum obtinere locum, conſtat.

Syluæ. Quid? quod & ſyluarum copia, ex quibus cum ciues tum ruſtici magna commoda capiunt, non procul ab ipſa Vrbe remota eſt.

Flumen. Præterlabitur item mediocri ſpacio fluuius non contemnendus, qui Pliſſa nominatur, quaſi Nilus fœcundans omnia, ac plurima delicatiſſimorum piſcium genera educans atq; producens: iuxta quem item fluuium molæ, iucundæ aſpectu, & vſu ipſo amabiles, multæ ſunt conditæ, vt tam exiguo in tractu, ſpacium duorum miliarium (ſi territorij habeatur ratio) haudquaquam excedente, vix plures alibi, eaſq; ſuperbiores, conſpectum iri exiſtimem.

Piſcinæ. Proximè Vrbem piſcinæ ſunt tres, quas riuulus Coſmanus, (vt vulgò dici conſueuit) aliarumq; ſcaturiginum concurſus, efficit; Vndè aqua largiſſimè promanat, & ciuibus multa commoda præſtat. Multi hinc horti, multa prata irrigantur; ac magna acce-
Fontes. dit amœnitas toti Vrbi. Intus verò ſaluberrimis fontibus abundat. Tam multi enim cùm publici, tùm priuati ſingulorum ciuium fontes ſunt, vt vix domum vnam atq; alteram ἄνυδρον reperias.

Soli fertilitas & vbertas. Porrò ſolum præcipua quadam bonitate & fertilitate donatum eſt, & fruges fert magna cum liberalitate

ranitate & vbertate. Ac quanquam ſolum Turingicum propter pinguedinem & fertilitatem agrorum apud pleroſq; in admiratione eſt: agrum tamen Altenburgenſem non deteriorem eſſe, ac cum eo facilè conferri poſſe; illi, qui ſciunt, teſtantur. Reddit enim ex larga Dei εὐδοκία concredita ſemina tanto cum fœnore, vt non ſolùm innumera ciuium ac paganorum multitudo, victum acquirere facilimè poſſit; ſed etiam fertilitas natiua miſerrimæ locorum exterorum ſterilitati ſuppetias ferendo, non paruas aliarum ciuitatum σιταρχίας expleat, Reſp. alat atq; ſuſtentet. Confluunt enim quotidiè ferè hîc mercatores plurimi, qui fruges in proximo natas, ad alias ciuitates, quæ ſimilem agrorum fertilitatem & frugum prouentum deſiderant, auehunt atq; tranſportant: Et ciues complures ex annuis prouentibus rem familiarem, vt magis piam, ita certè amplam comparant. Non enim vſuras exercent ſordidas; aut iniuſtis aucupijs pecuniam corradunt; neq; fallacibus mercibus imponunt tenuioris fortunæ hominibus: ſed à Deo benedictionem largam expectantes, illud ſtudium colligendarum diuitiarum exercent, quod liberale eſt, & minus habet inuidiæ, de quo Cicero lib. Offic. 1. ita ſcriptum reliquit: *Omnium autem rerum, inquit, ex quibus aliquid exquiritur, nihil eſt agricultura melius (propter honeſtatem) nihil vberius (propter vtilitatem) nihil dulcius (propter delectationem) nihil libero homine dignius:* Et ſic ſuauiter luſit Ariſtophanes: In pace.

Τῆς πᾶσιν ἀνθρώποισιν εἰρήνης φίλης
Πιστὴ τρόφος, ταμία, συνεργὸς, ἐπίτροπος
Θυγάτηρ, ἀδελφή. πάντα ταῦτ' ἐχρῆτό μοι.
Σοὶ δ' ὄνομα δὴ τί ἐστιν; γεωργία.

O cunctis hominibus grata pacis
Fida nutrix, proma, opifera, procuratrix,
Filia & ſoror. Hæc omnia me nominabat.
Sed quodnam nomen eſt? Agricultura.

Huc accedit aliarum quoq; rerum, ad victum quotidianũ neceſſariarum, non contemnenda copia. Vnde ſane fit, vt cùm aliæ vrbes & regiones vix ſingulæ ſingulas procreent fruges, hæc omnes ferè profundat ſimul: triticum, olyram, hordeum, auenam, legumina, olera, poma, pyra; & ſi qua alia ſunt eiusdem generis. His omnibus adde etiam cereuiſiæ potum non inſuauem, ſed ſalubrem & delectabilem.

Hæc commoda patriæ decet nos ſtudioſè & crebro animo & cogitatione percurrere, exuſcitareque ſimul mentes noſtras; vt hæc ingentia Dei beneficia quibus hanc vrbem præ cæteris cumulauit, agnoſcamus; ijsq; cum reuerentia, pietate & gratiarum actione ſumma vtamur. Errat enim vehementer, ſi quis putat, caſu hæc tanta dona alicui terræ contingere: Sed ſtatuendum eſt, diuina prouidentia & bonitate terram quotannis fæcundari, vt tot & tam varias fruges, ad vitæ ſuſtentationem neceſſarias, gignat atq; profundat. Ad quam cogitationem non parum proderit, aliarum regionum & vrbium tenuitatem ac penuriam conſiderare, quibus vix minima pars horum commodorum ſuppetit. Sed pergo ad reliqua.

Aëris qualitas.

Aërem habet hæc ciuitas (quæ non ſolaribus nimium æſtibus ſubiecta iacet, nec frigoribus nimium Borealibus eſt propinqua, ſed temperatiore ſub climate conſtituta) commodum & ſalubrem, non nimis craſſum, non impurum, non turbidum,

neq;

neq; nebuloſum. Huius rei gratia valdè commoda eſt ad habitandum, & multi vitantur morbi. Quis enim neſcit, quantum ad valetudinem tuendam, & ad ingenia moresq; alendos atq; formandos emolumēti conferat aëris ambientis ſalubritas? Et contra quam graues morbos pariat, quantumq; ingeniorum vires obnubilet eiusdem impuritas? Quocirca hoc quoq; non poſtremum Dei beneficium eſſe ducamus, quod cœlum hoc, quo nos vtimur, non nimiis craſſum ſit & concretum, ſed ſatis clemens, temperatum, & valetudini quàm minimè noxium.

Hactenus ea ferè bona, quæ à natura Altenburgo tributa ſunt, expoſui: Nam oportunitas & fertilitas loci, naturæ quædā commoda ſunt, & ab ipſa reguntur. Nunc verò cum mores etiam incolarum, qui naturæ bonis fruuntur, ſcire liberale ſit (iuxta Homeri cum illum Vlyſſem, qui non ſolum multas regiones & vrbes explorauerat, ſed multorum etiam hominum cognouerat mores) dicendum porrò eſt de forma Reipubl. de moribus & diſciplina ciuium, ſtatu Eccleſiæ, & quæ cum illa coniunctæ ſunt, Scholis. Prius tamē de ædificijs aliquid dicendum eſſe video.

Etſi autem vera ciuitatum laus non poſita eſt in ſplendore & magnificentia ædificiorum; in aggerum, murorum, turriumq; altitudine aut firmitate; neq; in horriſono armorum ſtrepitu, cum πολίτευμα noſtrum, vt Sacræ litteræ docent, ſit in cœlis: verùm in certis legibus, quibus, cura & vigilantia magiſtratus accedente, defenditur pax, & diſciplina gubernatur; propter hunc præcipuè finem, vt homines de Deo, rebusq; diuinis, & alijs honeſtis artibus, ad conſeruandam hanc politicam ſocietatem neceſſarijs, erudiri poſſint; tamen cum non in ſpelæis fera-

rum

rum viuamus, neq; ſub Dio, beſtiarum more, degamus, ſed ad auertendum frigus, & intenſum calorem quaſi mitigandum, corpora noſtra vmbracula deſiderent; iccircò de his quoq; in vrbium laudationibus dici conſueuit.

Monaſterium. Ab oriente itaq; eminent, ac procul conſpiciuntur quædam auguſti & regij monaſterij reliquiæ (nam pleraq; illius ædificia diruta atque proſtrata ante oculos iacent) ingentibus ſumptibus fundati, ac reditibus annuis inſtructi à Friderico Barbaroſſa, anno ſalutis humanæ milleſimo, centeſimo, ſeptuageſimo ſecundo; eo potiſſimum conſilio, vt ibi certum eſſet Sacerdotum collegium, quod veram de Deo doctrinam propagaret, ſalutaria paſcua ouiculis Chriſti præberet, ac iudicia regeret Eccleſiaſtica. Idq; ſe ita habere, teſtantur verba, quæ etiamnum leguntur inciſa lapidi, parieti, ædi ſacræ, Deiparæ virgini dicatæ, vicino, impacto: *Fridericus primus Barbaroſſa vocatus, & Henricus ſextus eius filius, ex inclyta domo Sueuiæ Imperatores, huius Cœnobij fundatores, quod cœptum eſt A. D. 1172.*

Arx. Ex altera vrbis parte, verſus Septentrionem, ſuperædificata eſt ſublimi & ſaxeo monti arx ampliſſima & conſpicua, vnde nomen vrbi inditum eſſe creditur: Quæ, inquam, arx, etſi ſatis nota eſſe poterat, An. 1455. 7. Iulij. propter hinc abductos à CONRADO à Kauffung principes, ERNESTVM & ALBERTVM; ac commendata propter ſtructuræ magnificentiam, aliorumque inſignium ornamenta; tamen hanc ob cauſam præcipua

cipua laude dignam eſſe exiſtimo, quod Dominos & inhabitatores Principes habet illuſtriſſimos & pientiſſimos, FRIDERICVM GVILIELMVM, Electoratus Saxon. Adminiſtratorem, & IOANNEM, fratres &c. quorum etiam Maiores puritatem veræ doctrinæ, cum diſcrimine fortunarum ac ſalutis, retinuerunt. Vt verò alios ſilentio iam percurram: intermittere certè non poſſum, quin pauca quædam de inclyto principe & confeſſore veræ atq; inviolatæ de Filio Dei doctrinæ, IOANNE FRIDERICO, Saxoniæ Electore, dicendo exprimam: quod dum facio, à ſuſcepta materia parumper digrediens, æqui boniq́ue conſulatis oro. Conſideremus autem in tanto Eccleſiæ Heröe quantum poſſumus, dum, quantum volumus, imbecillitas noſtra non aſſequitur.

Principio omnes veritatis numeros in ſe continet, fuiſſe illum virum verè ſummum, manibus, pedibus & mente tetragonum, hominem quidem non omninò ἀναμάρτητον, verum ſi collatio fiat cum multis millibus, hominem ſummis lectiſſimisq; virtutibus præditum; inprimis verò ea ſapientia illuſtratum, quæ ſola eſt ſapientia nominanda, quam Spiritus ſanctus accendit in homine, renato per verbum Dei, ut ſtatuat & firmiter credat, non eſſe aliam rationem aut viam neq; in cœlis, neq; in terris, per quam redire in gratiam & reconciliari cum Deo miſer homo poſſit, quàm gratuitam miſericordiam, propter Chriſtum promiſſam omnibus, qui pœnitentiam agant, & fide hoc beneficium in ſolo Chriſto apprehendant, & aduerſus ipſas inferorum portas, in omni aflictionum genere, tenaciſſimè retineant. Præterea & illud conſtat; fuiſſe in eo naturam verè heroicam

Digreſsio in laudem Illuſtriſſimi principis, Ioannis Friderici, Electoris Saxoniæ, qui fuit ſcutum terræ, congregatũ cum populo Abraham, à quo vehementer exaltatus fuit Deus. Pſal. 47.

roicam & præſtantem ; ingenium perſpicax atq; amplum; amorem diligentiæ & ſtudij ſingularem. Itaq; & legendi, & cognoſcendi, & verò etiam multa commentandi atq; ſcribendi amore flagrauit, longè magis, quàm vſitatè fieri ſolet ab ijs, qui excelſo loco nati ſunt. Cumq; incidiſſet eius gubernatio in ea tempora, quibus furor Pontificius puram de iuſtificatione hominis doctrinam, ferro & igne abolere iam palàm conabatur; exiſtimauit princeps optimus, non modò eruditorum iudicijs ſtandum eſſe, ſed ſibi ipſi in cauſſa conſcientiæ fontes veritatis perfectè eſſe cognoſcendos. Itaq, cum accerſitis ad ſe doctoribus Eccleſiæ, eò vſq; communicauit ſententias, donec de ſingulis controuerſiæ capitibus ipſe certior factus, de tota doctrina exactè rationem reddere poſſet. Secutum eſt poſtea bellum, cuius cauſſam fuiſſe ipſum nemo pius vnquam affirmare audebit; id quod poſteritas, inuidiæ atq; odij vacua, rectius iudicabit; nec nunc quicquam declarandi locus eſt, cùm in ore & confeſſo ſit vbiq, gentium; cum nulla alia cauſſa adductum, quàm pietate erga patriam & Eccleſiam, defenſionem ſuſcepiſſe. In eo bello, iniquo Marte traditus victori, ita ſe geſſit, vt & Deo, & legitimæ poteſtati fidem atq; obedientiam præſtaret. Nam & patriam, & facultates, coniugemq; ac liberos, corpus atq; vitam, non dubitauit extremo periculo exponere, vt gloria Deo debita integra ſeruaretur: Et agnouit imperij dignitatem, eiq; ciuilem obedientiam, ſi quis alius, præſtitit; quæ virtus etiam victori tanta viſa eſt, vt clementia motus, vltrò ex cuſtodia in patriam, cum omnium bonorum applauſu, reſtitueret Eccleſiæ nutricium. Quod ad

cæte-

ceteras eius virtutes attinet, ſimilis ſibi in omni viuendi ratione extitit; natura bonus, verax, caſtus, grauis, iuris & æqui obſeruantiſſimus; nemini inuidens, nemini obtrectans, tolerans iniuriam; quod vel ex eo liquidò conſtat, quod totum exilij & cuſtodiæ ſuæ quinquennium ita placido & æquo animo ſuſtinuit, vt nulla vox acerba aut contumelioſa in aduerſarios eius, vnquam ab eo audita ſit. Extremus verò vitæ actus pulcerrimum finem optimè certato certamini impoſuit. Nam & pientiſſimam coniugem morituram piè conſolatus eſt, cùm & ipſe aliquandiu ægrotaſſet, addens ſubinde, ſe breui ſubſecuturum; & in æde ſacra ſibi locum relinqui iuſſit ad latus coniugis, quaſi poſt paucos dies, vt aiebat, ad Chriſtum profecturo; & ex eo tempore componens ſe animo & corpore ad emigrationem ex hac vita, ardenti inuocatione & fide expectauit liberationem. Ita confirmatus ſpe & fiducia; ſatur vitæ huius & cupidus æternæ; acquieſcens in gratia & pace per Chriſtum apprehenſa, 3. Martij, anno ſalutis 1554. intra nonam & decimam ante meridiem, cum prius audiſſet ex grabbato ſacram concionem, ardenter inuocans Deum, æquiſſimo animo & placidiſſima morte obdormiſcens, in ſinum Chriſti ex ærumnoſa vitæ huius iactatione commigrauit, bonus dum vixit & Princeps & Pater, nutritor Eccleſiæ & ſcholarum, confeſſor conſtans immotæ veritatis doctrinæ; nunc cum pijs qui in Domino mortui ſunt, verè beatus, victurus æternum cum Chriſto & Angelis, & omnibus electis hæredibus vitæ cæleſtis. Hoc ingens & incomparabile decus, quod in hoc organo ſelectiſſimo Deus lucere his extremis mundi temporibus

 voluit,

voluit, ideo grata mente recordari nos decet, vt ab eius exemplo conſolationem capere, & animos noſtros ad fiduciam erga Deum, patientiam, conſtantiam, erigere atq; confirmare poſſimus. Sed quid ago? labor longius, quam volo. Quare ad eam partem ſermonis, ex qua egreſſus ſum, reuertor.

Cœmiterium.

Iam verò quid dicam de loco ſepulturæ, extra portas, verſus occaſum, ſito? quem rectius Ebræi domum viuentium, latini verò dormitorium appellant, qui me admodum delectat. Nam cùm noſtrorum corporum conditio diuerſa ſit à brutis, vtpote quæ ſpe reſurrectionis indubitata nituntur: æquiſſimum certè eſt, honorificè conſeruare certo in loco ſanctorum corpora, quæ templa Spiritus ſancti hac in vita fuerunt, vt alias cauſſas omittam. Quare amœniſſimum locum, conſitum arboribus, & egregiè exornatum, maiores noſtri condendis corporibus deſignarunt; quem graui iudicio inſignibus picturis, de nouiſſimo die, reſurrectione mortuorum vniuerſali, & ſimilibus, ex Sacris litteris deſumtis, illuſtrarunt; vt nemo, niſi adamante durior, aut quouis Epicureo profanior, illum ingrediatur, qui non præſentis vitæ fugacitatem deplorans, in animo fixam habeat mortis meditationem, tanquam vnicam & ſolam vitæ humanæ philoſophiam; & futuræ gloriæ, quam nulla temporis circumſcriptio metitur, poſſeſſionem cum deſiderio expectet, ſubinde hanc Polycarpi precationem ingemiſcens: *Deus pater dilecti Filij tui Ieſu Chriſti, per quem agnitionem tui accepimus, conditor vniuerſæ creaturæ: te inuoco, te confiteor verum Deum, te glori-*

Anno 1529.

glorifico per pontificem dilectum filium tuum, cum Spiritu ſancto; ſuſcipe me, & fac me ſocium reſurrectionis Sanctorum tuorum.

Porrò autem intra mœnia ſedem habent non contemnendam illi, qui vocantur Mariani Teutonici, quorum hæc origo traditur: Henrico VI. Imperatore, Friderici Barbaroſſæ, qui eſt cænobij, cuius ſupra facta eſt mentio, fundator, filio, cùm pro recuperanda Ieroſolyma Chriſtiani cum Turcis bellum gererent, inſtitutus eſt ordo militum, vt vocant, Marianorum Teutonicorum; qui, quoniam pro religione pugnabant, crucem albam in veſtibus gerebant, velut inſigne quoddam atq; notam ſuæ profeſsionis. Fuit hoc circa annum partæ ſalutis milleſimum, centeſimum, nonageſimum. **Aedes Teutonicæ.**

Ex omnibus verò ædificijs, quæ Altenburgum ambitu ſuo complectitur, floret ac dominatur, cum octogonia turri, curia; præclara herclè & plena dignitatis domus, quæ totum forum reddit illuſtre; ob cuius elegantem, lautam atq; artificioſam ſtructuram peregrini quoq; in admirationem trahuntur, ac ingenuè præ ſe ferunt: vix parem ei repertum iri, etiamſi multa quis loca paſsibus ſuis peragret. Quanquam quod habet pulcerrimum, vulgo profanis oculis non oſtentet, ſed potius theſaurum, ceu cortice quodam diſsimulans quod habet eximium, intimis recondat & occultet. Ceterum cùm præſtantior illius forma & ornatus, pulcritudoq; maior ſit, quàm vt paucis narrari poſsit; ea tacita relinquere ſatius eſt viſum, cùm modus aliquis in dicendo ſit quærendus. Sed percommodè mihi nunc in mentem venit **Curia.**

rei, quam omnium dolerem, & vno atq; altero verbo breuiter attingam: In hac nimirum domo habitum eſſe, inter Theologos Ienenſes & Vuitebergenſes, de quibuſdam controuerſis Chriſtianæ doctrinæ capitibus, Colloquium, quod adhuc publicè extat; cùm anni ab orbe redemto numerarentur mille, quingenti, ſexaginta octo.

Aedes priuatæ.

Reliqua verò priuatorum ciuium tecta, non tam ad oſtentationem inanem & luxum extructa, quàm ad neceſſitatem & vtilitatem erecta ſunt. Nam cùm pleriq; illi vitæ generi ſe tradant, cui operam dediſſe ſanctos videmus Patres, quodq; à moderatis hominibus maximè commendatur: non ambitioſam minimeq; neceſſariam luxuriam in excitandis ædificijs, magno cum detrimento ſuo ac facultatum diſpendio, probant, ſed ad mediocritatem referunt, quæ in omni vſu cultuq; vitæ laudatur. Perſuaſum enim ſe rè habent omnes; non domo dominum, ſed domino domum honeſtandam eſſe. Nec tamen deeſt ædificijs mundicies, ornatus & elegantia.

Cùm autem, vt antea dictum eſt, vera ciuitatum laus in inſanis & ſplendidis ædificiorum molibus minimè conſiſtat, ſed in alijs ornamentis longè pulcerrimis verſetur: relinquam materias & formas ædificiorum lapicidis & architectis, ac ad vera ornamenta me conuertam.

Forma ſeu ſtatus Reip.

Eſt autem, vt de forma gubernationis politicæ primùm dicam, in patria noſtra, quod omnibus patet, ſtatus politiæ commodus, ac modeſtia ciuium laudabilis; nec ibi conſpicitur tanta diſciplinæ laxatio, ac diſſolutio morum, quanta in hac languida & delira mundi ſenecta multis in locis animaduertitur,

quæ

quæ vniuerſis ſæpè regnis ac ciuitatibus, non aliter ac Cæcias ventus nubes attrahit, perniciem interitumq́; accerſit. Cum enim perſuaſum atq́; fixum magiſtratus in animo habeat, officij ſui adminiſtrationem in hoc præcipuè verſari, vt ſonet vocem legis moralis, quod ad externam diſciplinam attinet, ad cuius obſeruationem omnes homines ſeſe obligatos eſſe naturali luce cernunt: Proponit ex Decalogo ſummas & immutabiles leges, prohibentes cultum idolorum, blaſphemias, periuria, iniuſtas cædes, vagas libidines, furta &c. & alias honeſtas leges, quas in contractibus & iudicijs exercendis homines ſequantur, conſtituit. Cumq́; longo rerum vſu habeat compertum, leges quaſdam indigere explicatione & declaratione prolixiori; ſapienter & cum iudicio ſuas quoq́; leges promulgat, quæ ſunt circumſtantiæ & quaſi determinationes additæ generi, nequaquam pugnantes cum naturalibus. Deniq́; cum leges parùm valeant ſine executione, vt quotidiana experientia docet; & nulla ſit vtilitas Reipublicæ, vt Aeſchines inquit, quæ non habet neruos ad coërcendos improbos, quorum temeraria audacia nihil intentatum relinquit, & nullo non ſcelere contaminare ſeſe audet: non fruſtra gladium gerit, ſed iuſtam & à Deo mandatam ſeueritatem exercens, pollutos ſceleribus, & atrociter ac nefariè delinquẽtes, merita pœna comprimit, quæ modeſtiores iuſtioreſq́; plerunq́; facit, & improbitatis medicina fit, teſte Platone, cuius hæc ſunt verba: *σωφρονίζει γάρ πȣ καὶ δικαιοτέρȣς ποιεῖ, καὶ ἰατρικὴ γίνεται πονηρίας ἡ δίκη*: Pios verò & honeſtos debitis præmijs ornat, ac ſic cuiq́; tribuit conuenientia; qui ſanè Reip. ſtatus a-

mandus

m̄andus eſt, & ſumma cura, ſi cui ciuitati contingit, ſeruandus. Nota eſt enim vox Achillis, qui negat ſe in illa Repub. viuere poſſe, in qua boni & mali, pari honore & præmio afficiuntur. Et cùm ad hanc administrandi προαίρεσιν, tanquam ad cynoſuram, omnia conſilia ſua dirigat; fortunatur etiam à Deo & iuuatur, vt præclarè inquit Aeſchylus: ὅταν σπεύδει τις αὐτός, καὶ ὁ θεὸς συνάπτεται: quando quis ipſe contendit, tunc etiam Deus ſimul manum applicat negocio. Quibus verò officijs proſequi debeant ſubditi magiſtratum; admonentur ſuo tempore & loco à reuerendiſs. & clariſs. viris, ſermonis diuini præconibus. Deinde honeſtis magiſtratus exemplis ad vitæ integritatem ciues inuitantur, cuius mores, vt in Menandri eſt dicto, magis perſuadent, quam oratio, quantumuis ſit plauſibilis, & ad perſuadendum accommodata videatur.

Commendatio ritus nuptiarum.

Ceterum etſi non ignorem, faciendum eſſe laudandi modum, cùm, vt aliarum rerum omnium, teſte Homero, ita etiam laudationis ſit ſacietas: Et, ſecundum Euripidem, onus magis ſit, quàm honos, nimium laudari; ac propterea mecum decreueram, quæ de pompis nuptialibus dici à me poſſent, oratione non attingere: tamen cùm præclarè illæ quidem ac decorè tranſigantur, non video, quo ore conſuetudinem hanc laudandam tacitus pertranſire poſſim, niſi patriam noſtram ea defraudare laude velim, qua velut peculiari emblemate inſignita eſt; vt nihil interim quicquam de aliorum honeſtis moribus decerpam atq; imminuam. Cùm enim homines in connubialibus feſtis non confluant vorandi gratia & potandi, ſed vt Deum, quaſi manu facta, caſtis precibus

am-

ambiant, quò nouis coniugibus ſua præſentia adſit, & aquam in vinum dulciſſimum permutet; ipſum conditorem & autorem vitæ coniugalis, quod omnino à Chriſtianis exigitur, ad ſacrum nuptiale inuitant, obtemperantes grauiſſimo Nazianzeni præcepto: *ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποίει θεόν*: Sit actionum principium & finis Deus. Ac neceſſariam omninò eſſe præſidij diuini implorationem, luce, quod aiunt, meridiana clarius eſt; cùm diabolus, infeſtiſſimus ordinationis huius ac vitæ diuinitus comprobatæ hoſtis, ſæpè magna vi ærumnarum & concurſu calamitatum etiam pios coniuges obruat, ac duo mala, iuxta vnum bonum, ipſis diuinitus conceſſum, diſtribuat. Accedit inſuper ad hoc pietatis ſtudium etiam morum commoderatio. Nam cùm in conuiuijs nuptialibus, pro more confirmato, honeſtæ ſaltationes iuuentuti permittantur; ita circumſcriptæ ſunt honeſtatis ac modeſtiæ cancellis, vt nullum petulantiæ veſtigium ab adoleſcentibus ponatur, nec virginum indecens animaduertatur laſciuia, ſed elegantia morum, coniuncta cum modeſtia ſingulari, eluceat.

Encomion perſonarum, choreas ducentium.

Ex hoc ritu publico, externaq; ciuium conuerſatione, in qua ita decenter pleraq; peragantur, ac ciuilitas conſpiciatur haud culpanda, reliquos inde mores facilè æſtimari poſſe, nullum relinquitur dubium. Sed tamen vt vno verbo, quod ſentio, dicam, ita habeo ſtatutum; hanc ciuitatem humanitate, facilitate & manſuetudine, cum quauis alia certare poſſe.

Diſciplina ciuium domeſtica.

In priuatis autem familijs, cum prorſus animum inducant boni patresfamilias, illud ſibi domi ob-

eundum eſſe munus, quod doctoribus in Eccleſia publicè aſſignatum eſt, iuxta dictum grauiſſimum

Coloſ. 3. Pauli; *Sermo Chriſti habitet in vobis opulenter, in omni ſapientia:* magnum ſtudium, magnamq; operam conſumunt, vt pueros puellaſq;, φίλτατα καὶ οἰκειότατα σώματα, verbo Dei inſtituant; ac doceant, quomodo Deum verè colant, h.e. vt Catechiſmum & præcipuos Chriſtianæ doctrinæ locos tradant eis, probeq; inculcent. Hoc eſt patrimonium omnium ampliſſimum, quod liberis parentes relinquere poſſunt; imò quo nihil beatius, nihil bonis omnibus affluentius cogitari poteſt. Deinde hoc quoq; exercitio pias de Deo cogitationes in mentibus liberorum excitant & alunt: quod ſingulis diebus, manè & veſperi, tempore prandij & cænæ, grata voce prædicare ſinunt larga Dei omnipotentis munera, ſpiritualia & corporalia; quibus nos miſeros, indignos, & humi reptantes vermiculos, pro immenſa ſua bonitate & beneficentia, afficit: cuiuſmodi ſunt creatio, patefactio, miſſio Filij, donatio Spiritus ſancti, & vitæ æternæ, remiſſio peccatorum, liberatio à tyrannide diaboli & æterna morte, nutritio, defenſio animæ & corporis. Multum enim ſitum eſſe in priuata liberorum educatione, cùm ſcripta Ethnicorum, tùm ſacræ litteræ teſtantur, quæ etiam curam rectè & liberaliter educandi ſobolem parentibus commendant. Nota eſt enim vox Pauli Epheſ. 6. *Educate liberos in diſciplina & doctrina Domini.*

Venio nunc ad locum de Eccleſia, cuius ciuem

eſſe

eſſe præcipua laus eſt, ſecundum Baſilium. Etſi autem hæc ornamenta, de quibus hactenus diſſerui, ampla ſunt & magnifacienda: tamen nullum eſt excellentius & præſtabilius decus in ciuitate, quodq́; eam verius felicem, beatam & opulentam reddit, quàm Eccleſia, ſiue vera Dei agnitio & celebratio. Ideò enim Deus initiò homines condidit, & adhuc congregatos tuetur; & honeſtis legibus quaſi copulat; nec vult eos in angulis aut latebris celebrare Eleuſinia; aut ferarum more per loca deſerta & abdita temerè vagari. Ideò etiam mirandis & adamantinis vinculis generationis, educationis, defenſionis, officiorum, contractuum, gubernationis, & alijs, humanam ſocietatem conſtrinxit, vt & alij alios de Deo docerent; & vt ſinguli ſuo loco puritatem doctrinæ cœleſtis à maioribus acceptam, quaſi per manus poſteritati traderent, vt ſemper in mundo cætus eſſet viſibilis, Deum rectè agnoſcens, ac piè celebrans. Quare cùm in patria noſtra luceat doctrina Euangelij, quæ nobis viam in æternam vitam per hanc tenebroſam lacrymarum vallem aperit, clara & incorrupta; ſine vllis tenebris Pontificijs, quibus diu oppreſſa iacuit; & alijs fanaticis opinionibus, quæ vim faciunt veritati, & ocioſis ac minus circumſpectis facilè glaucoma ob oculos obijciunt: non video, quid de ſumma beatitudine, quæ quidem hac in vita alicui terræ contingere queat, ciuitati huic deeſſe poſſit. Non enim poteſt non vberrima Dei benedictio eſſe in ea vrbe, quæ cœleſtis fontis riuulis irrigatur. Sonat autem Eccleſia noſtra purè & ſyncerè omnes partes doctrinæ Chriſtianæ, & κατήχησιν diligenter & fideliter iunioribus inculcat: vſumq́; ſacramento-

rum verum & integrum, ſicut à teſtatore & auctore ipſo Chriſto inſtituta ſunt, ſine omnibus ſophiſmatum præſtigijs retinet. Hoc ſummum bonum huius
Lib. 1. ciuitatis eſſe iudico. Quemadmodum igitur Virgilius in Georgicis, laudans agriculturam, & eius bona extollens, exclamat: O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint, agricolas: Eodem modo & nos poſſumus exclamare: O verè beatos nos, quorum mentes hac poſtrema cœleſtis gratiæ flamma accenſæ & illuſtratæ, in vera Verbi diuini luce & puritate Deum agnoſcunt & celebrant: O miſeros, qui tanta bona, quæ Deus ſeneſcenti Eccleſiæ dedit, aut ignorant, aut aſpernantur, aut non magnifaciunt vt par erat, ſed vt porci hanc precioſam Margaritam pedibus conculcant: quorum quidem horrenda ingratitudo meritò deteſtanda eſt.

Quid? quod in publicis congreſſibus, qui ſunt vmbræ quædam & præludia ad æternum ſabbatum, accuratè quoq; homines à Miniſtris Verbi docentur, quòd ſint templa Dei, in quibus ipſe Deus, dulcis animæ hoſpes, in ſempiternum habitare velit; ſi doctrinam ipſius diligenter addiſcant, & vitam morum pietate atq; innocentia exornent, iuxta dulciſſimam
Ioan. 14. ſaluatoris noſtri promiſsionem: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus.* Vnde etiam fieri exiſtimo, vt populus tam frequenter audiat conciones, & ſumma attentione à concionatorum ore pendeat; Vtatur legitimè Sacramentis; ac profeſſionem

nem ſuam ornet ſancta dicendo & faciendo: Gratias inſuper agat Deo æterno, patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod D. Martini Lutheri, poſtremæ ætatis Eliæ, miniſterio, ex fontibus Euangelicis rurſus eijci cænum & venena voluit, & Eccleſiæ puram doctrinam reſtituit: ac cum omnibus pijs toto orbe terrarum vota & gemitus coniungat, ac pectoribus petat ardentibus, vt Deus confirmet hoc, quod operatus eſt in nobis, propter templum ſanctum ſuum.

Ceterum cùm in Eccleſia non ſatis ſit tradere veram ſententiam, ſed neceſſe ſit etiam extirpare impia dogmata: præterea & illud conſtet, non minorem eſſe virtutem, quàm quærere, parta tueri, iuxta poëtam: In hac poſtrema verò mundi ſenecta, aduerſario noſtro diabolo, hoſti veritatis atrociſſimo, nihil ſit deliberatius, quàm vt venenatis opinionibus ſeu corruptelis doctrinæ cœleſtis, rurſus inquinet limpidiſſimos & ſaluberrimos Iſraël fontes, idq; vt perficiat, nihil intentatum relinquat, fanaticos ſubindè ſpiritus excitando, qui Eccleſiam turbent, ſparſis impijs dogmatibus: proindè vt hæc puritas & ſimplicitas doctrinæ, quæ Dei munere ſonat in noſtris Eccleſijs & ſcholis, integra & incorrupta conſeruetur; commiſſa iam eſt cura Eccleſias in tota vicinia inſpiciendi, reuerendo & clariſſimo viro, in omni genere doctrinarum inſigniter exculto, & præcipuè S. litterarum cognitione excellenti, D. Ioſuæ Lonero (quem honoris cauſſa nomino) de cuius

D. Ioſua Lônerus, vigilantiſſimus διοικητής Altenburgenſis Epiſcopus, in locum

experientia diſcimus, veritatis ac ſynceræ doctrinæ conſtantem aſſertionem, non aliter quàm ſtellam Veneris inter nocturnos ignes, egregiè hactenus conſpectam eſſe, & adhuc eminere; cùm pio zelo ex agro Domini, atq; finibus Eccleſiæ, quantum in ipſo eſt, eradicet atq; exterminet omnia praua dogmata, cum genuino ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum ſenſu pugnantia, (præſertim verò Caluiniſtarum, qui non perſonam modò Filij Dei grauiſſimè oppugnant; ſed & omnia ferè Chriſtianæ doctrinæ fundamenta labefactare, ne dicam penitus euertere, conantur) vt hoc nomine omnibus pijs admirationi ſit, peruerſis verò hypocritis & impoſtoribus pauorem incutiat: cui fideliter in officio præſtò ſunt, ac mutuas in profligandis erroribus tradunt operas, Viri reuerendi & doctiſſimi, Eccleſiæ miniſtri: M. Abraham Langius, Concionator aulicus: M. Jacobus Lapidanus: M. Erhardus Coboldus, & Zacharias VVagnerus &c. Nam vt bonæ mentes ardere debent ingenti amore veritatis, & gloriæ Dei: ita acerrimum in eis odium flagret aduerſus Sophiſtas & Sycophantas, qui veritatem corrumpunt, & gloriam Dei lædunt, ſicut in Pſalmo dicitur:

Pſal. 119. *Perfecto odio oderam illos, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam: mendacium odio habui, & abominatus ſum, legem verò tuam dilexi.* Et in quos verè competit illa acerbiſſima querela Andromaches, quam ſcelerate Menelaus deceperat:

Europ. in Aud. *O digniſsimi odio Sophiſtæ & execrandi ab omnibus hominibus: dolosi mendaciorum architecti, inſidioſi & flexiles quas ambages captantes: aliud ſentientes*

aliud loquentes : malè pareatis. Sed hæc hactenus Reliquum eſt, vt de ſcholis etiam dicam, & exitu tandem orationem concludam.

Iam verò patet in promptuq; eſt omnibus, qui aliqua ſaltem litterarum cognitione tincti ſunt, conſtitutiones ſcholarum cum toti generi humano, tùm præſertim Eccleſiæ proprias maximeque neceſſarias eſſe, adeò, vt piſces prius in aëre, aqua deſtituti, ſupereſſe, quàm Eccleſia ſine literis conſtare poſſit: idq, propter cauſas grauiſſimas, quas ſingulas hoc loco recitare forſitan ingratum foret; proinde aliquas ſaltem breuiter perſtringam. Ac primum quidem liquet, doctrinam cœleſtem, Propheticis & Apoſtolicis monimentis comprehenſam, nequaquam ex notitijs, humanæ menti impreſſis, elici poſſe, vt reliquas artes, quarum ſemina & quaſi ſcintillas nobiſcum circumferimus; quaſq; diligenti exercitatione & ſtudio pertinaci excitare & inflammare poſſumus: Sed illa ſapientia, quæ nos de voluntate Dei, reddit certiores, longè extra aleam ingeniorum noſtrorum poſita eſt, prolata ex ſinu æterni patris per λόγον, conſubſtantialem & coæternum patri. Neceſſaria eſt igitur conſtitutio ſcholarum & conſeruatio, vt teneris iuuentutis mentibus veræ ſẽtentiæ de Deo rebuſq; diuinis inſtillentur; neq; ad impias traducantur opiniones ab ijs, qui ſui quæſtus gratia fictas ſuſcitant ſententias. Deinde cum S. litteræ, qui-

Scholæ.

metur, quæ cum ad percipiendas res maximè neceſſarias, tum ſermone alijs communicandas, pertinent. Nam veriſſimum eſt, quod de teneræ ætatis educatione refert Cicero: *Infirmiſſimo tempore ætatis, inquit, aut obſe[illegible]re amico cuidam, aut vna alicuius, quem primum audierunt,, oratione capti, de rebus ignotis iudicant: & ad quamcunq; ſunt diſciplinam quaſi tempeſtate delati, ad eam tanquam ad ſaxum adhæreſcunt.* His adde, quod quotidiana experientia teſtatur, ſcholas eſſe fontes perennes & auguſtos, ex quibus dimanant ea, quæ tam ad publicam, quàm domeſticam rem aptè adminiſtrandam, pertinent. Quemadmodum enim præſtantiſſimum balſamum, celerrimè in ipſa viſcera penetrat, vel guttatim aſperſum affricatumq; corpori humano: Ita litterarum beneficia ex ſcholis puerilibus progreſſa in campum publici commodi, vrbes & agros ciuitates & regna ſalutari aſperſione irrigant atq; fœcundant. Deniq; nemo, niſi emotæ ſit mentis, inficias iuerit, ſcholas præcipuum eſſe totius alicuius ciuitatis ornamentum.

Lib. 4. Acad. Quæſt.

Hiſce & alijs cauſis, quæ non procul poſitæ ſunt illi, qui rei huius neceſſariæ dignitatem magnitudine æſtimat ſua, impulſi Reipublicæ huius moderatores, qui aut philoſophi ſunt, aut philoſophantur, vt cum Platone loquar: omni cura cogitationeq; in id incubuerunt, vt eiuſmodi apud nos aperiretur ludus, in quo à teneris, quod dici ſolet, vnguiculis literarum cognitione pueri inſtruerentur, quorum ingenia rudia certè & inepta ad ſtudia vrgenda non ſunt. Cum enim ad naturæ bonitatem accedit prudens educatio, & aſſuefactio diligens præceptorum; accommodata

Id eſt, Si non plane docti; ſcientiæ tamen virtutisq; ſunt amatores.

data ſunt illa ad virtutis & doc[illegible]arum ſtudium: cuius quidem rei cum plurima adſint teſtimonia, non opus eſſe verbis exiſtimo. Nam ingenia puerorum non diſſimilia ſunt agris, qui, non exculti, ſterileſcunt, quantumuis per ſe fertiles & fœcundi; ac imaginem referunt ſpeculi non terſi, ſicut quidam hiſce verſiculis expreſſit:

Vt nulla ex ſpeculis rudibus reſplendet imago,
Ni ſint artificis ritè polita manu.
Ingenij ſic vſus erit nullius acuti,
Doctrina ſi non erudiatur ope.

Contrà verò:

Quomodo ſcintillam flanti ſi adiuueris ore,
Continuò magnas elicis inde faces:
Inſita ſic animis virtutum ſemina cum quis
Excitat, vbertim luxuriare facit.

Excoluntur autem teneræ pubis mentes hoc tempore, & cognitione linguarum ac humanioribus diſciplinis imbuuntur à viris eruditione & virtute excellentibus: ex quibus honoris gratia M. Ioannem Hamericum, ſcholæ Moderatorem, appellare non dubito; quorum laboribus aſſiduis & fidelibus præclari fructus, quæ eſt Dei benedictio, reſpondent, iuxta promiſſionem dulciſſimam: *Labor veſter non erit inanis in Domino.* Prodierunt enim ex hac ſchola, velut ex equo Troiano, plurimi; quos vel bonarum litterarum artes humanos fecerunt; vel Ubi...

M. Ioan. Hamer. Ludi apud Altenburgenſes magiſter.

1. Cor. 15.

qui tot puerorum manus obſeruare conantur, & onus ſubeunt laborioſiſsimum; ac non rarò inſuper à ſtulta multitudine propter ſcholaſticos pulueres ridentur; tamen omnibus acerbitatibus longè anteponendum eſt mandatum diuinum & publica vtilitas; de qua cùm non minus venuſtè quàm verè Cicero ſcriptum reliquerit; iccircò eum, de ſcholaſticis laboribus contra imperiti vulgi iudicium diſſerentem,

Lib. 2. de Diuinatione. tem, audiamus. Sic autem inquit: *Quod enim munus Reipublicæ afferre maius meliusue poſſumus, quàm ſi docemus atq; erudimus iuuentutem? his præſertim moribus, atq; temporibus, quibus ita prolapſa eſt, vt omnium opibus refrenanda atq; coërcenda ſit. Neq; verò id effici poſſe confido: quod ne poſtulandum quidem eſt, vt omnes adoleſcentes ad hæc ſtudia ſe conuertant: pauci vtinam, quorum tamen in Rep. latè patere poterit induſtria.* Hæc Cicero.

Et cùm in ſcholæ Altenburgenſis mentionem inciderim, continere me non poſſum, quin cum ſanctiſsimo Patriarcha Iacobo in hæc verba erumpam:

Gen. 32. *Minor ſum cunctis miſerationibus tuis Domine:* ac Deo Opt. Max. tantas agam gratias, quantas anguſtia pectoris mei concipere poteſt; quod hac tempeſtate me in lucem edi voluerit, qua non ſolum optimarum artium ſtudia in ſummo flore atq; vigore verſantur; verùm etiam puritas doctrinæ cœleſtis à cæno barbarico humanæ prauitatis vindicata ac repurgata eſt: Quæ quidem ego niſi tam magna eſſe fatear, vt ea vix cuiuſquam mens aut cogitatio capere poſsit, amens ſim. Pro hiſce igitur in-

Pſal. 116. gentibus beneficijs quid aliud Domino reddere

poſsim,

poſſim,quàm vt hoſtiam laudis ſacrificem ei, & nomen Domini inuocem, non video. Sed iam longior ſum,quàm me fore putaui.

Hæc igitur habui,optimi Conciues,quæ in præſentia de patriæ noſtræ laudibus vobis nota eſſe volui,quæ hiſce in capitibus præcipuè verſantur: quòd originem ſatis vetuſtam, fertile ſolum, aërem ſalubrem, aliaq; ad victum neceſſaria: ciuium inſuper cultum, ædificiorum & morum elegantiam habeat: & imprimis, quòd Reip. noſtræ ſtatus commodus ſit: & Eccleſiæ Verbum Dei purè & ſyncerè ſonent: deniq; in ſcholis ætati puerili doctrina rectè adhibeatur.

Nam cùm tenuius ſit ingenium meum, & oratio anguſtior, quàm vt ſingula ornamenta patriæ noſtræ pro dignitate, non dico laudibus extollere, ſed ſaltem enarrare poſſit: finem orationi hac breui ac rudi commemoratione imponam, & reliqua vobis meditanda relinquam. Neq; enim fieri poteſt, vt quicquid cogitant omnes,dicat vnus.

Oro autem omnipotentem & viuum Deum, æternum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, conditorem cœli & terræ, & hominum atq; Eccleſiæ; vnà cum filio ſuo coæterno & ὁμοουσίῳ, Domino noſtro Ieſu Chriſto; & Spiritu ſancto ſuo, paracleto & viuificatore: Vt in hac decrepita mundi ſenecta, quæ non diſſimilis eſt poſtremæ ætati populi Iudaici; ac inter tot diſſidia Eccleſiaſtica & politica, colligat &

Defendat etiam patriam noſtram, & honeſtas politias, quæ præbent hoſpitia Eccleſiæ: ac protegat pios cætus docentium & diſcentium, ſicut ſcriptum
Pſal. 92. eſt in Pſalmo: *Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri florebunt.* Dixi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE